

DE CHININI SULPHURICI
USU MEDICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,

QUAM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME ADIPISCATUR,
LOCO CONSUETO PUBLE DEFENDET
AUCTOR

JOANN. GUIL. HENR. DE TIEDEN,
MITAVIA - CURONUS.

DORPATI LIVONORUM
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHUNMANNI.

MDCCCXXV.



Imprimatur.

ex tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura libro-
rum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xxx. April. MDCCXXV.

Dr. L. A. Struve
h. t. Decanus.

3126 21

De Chinino.

Antequam rem ipsam aggredior, ad meliorem ejus
notionem de basi Chinini sulphurici pauca praemittere, non alienum existimo.

Cum haud raro contingat, medicorum conata
frustrari cortice peruviano tum in pulverem redacto,
tum aliis formis suetis exhibito, quia medicamentum
illud difficile digestu aegerrime ferentes aegroti af-
fectus sat iniquos, vomitum nimirum, cardialgiam,
oppressionem ventriculi, diarrhoeam, alvi obstipatio-
nem aliasque digestionis difficultates experiuntur, jam
dudum nihil amplius optandum erat, nisi ut medica-
menti, inter praesidia artis salutiferae merito summum
locum obtinentis pars princeps sejungatur a partibus
reliquis constitutivis, quae, minorem exserentes vim
medicatricem, phaenomena forsitan modo dicta pro-

gignunt. Periculum hoc etsi longo ex tempore repetitis vicibus factum fuerit, tamen, quod dolendum est, semper irritum evasit, quod omnem fere boni successus spem sustulit, donec ineunte demum hocce decennio analysi plantarum ad majorem perfectionis fastigium proiecta, efficax Chinæ principium omnis alius materiei expers, ex China elicatum est.

Jam quidem in ephemeridum tom. VI. m. Decbr. a. MDCCCHI a Nicholson in lucem editarum, literas invenire licet, in quibus Andrew Duncan sermonem facit de substantia aliqua, quam ipse detexit, cuique Cinchonini nomen tribuit, cum vero nec virium chemicarum nec medicarum illius ulla mentio facta sit, dubium est, quale hoc fuerit elementum. Caeterum medici rei non admodum studuerunt, saltem nullibi accuratius aliquid de ea re commentum reperies. — Porro Ficinus¹⁾ in tractatu aliquo attentionem direxit in extractum, quod Giese alcoholis ope e Chinæ cortice obtinens, nomine Cinchonini significavit, saponaceisque adnumeravit plantarum partibus, ut materiem unicæ corticis vires essentiales concentrata in forma continentem, illudque remedium commendavit potentissimum in febribus intermittentibus violentissimis, ac praecipue ubi seditiones frequenter recurrent, perva-

1) Cinchonin, medicamen efficacissimum adversus cahexiam e febre intermitente obortam, tutissime adhibendum. Scr. Ficinus Dr. et Prof. chemiae et physices in academ chirurg. milit. Dresdens. 1816.

cacibus cohabitant stasibus, viresque aegrotorum summe exhauiunt, cui ultimae complicationi jure nomen tribuendum esse censem cahexiae febrilis. Hoc viro adseverante Cinchonini hujus scrupula duo unciae dimidiae pulveris Chinæ validitatē nequaquam cedere dicuntur. Novum hoc antipyreticum, vel quia virium illi tributarum spem desituerit, vel quia non satis scrutatum fuerit, exiguo post oblivioni traditum est. Quod Giese Cinchoninum vocat, longe abhorret a Cinchonino serius detecto; quamvis enim hoc in illo deprehendatur, tamen illud præterea abundat aliis Chinæ partibus, acido nempe cinchonico, resina atque principio coriario.

Chemiae cultor Lusitanicus, nomine Gomez, anno MDCCCXX, Chinam fuscam diligentissime in particulas suas abire jubens, materiem peculiarem, hucusque a nullo chemico visam reperit, vim ejus in febribus intermittentibus, Chinam indicantibus tentavit, eamque inopinato cum gaudio corticis efficaciam concentratam continere, unde illam „principium Chinæ efficax sive Cinchoninum“ appellavit, experium habuit. Chemicae hujus principii facultates inventori non innotuerant, nec alia ab eo experimenta medica sunt facta, ac ni Pelletier et Caventou extemplo oculum conjectissent novo chemiae organicae invento, nec chemica atque reiterata experimenta medica instituissent, res forsitan nullius aestimata fuisset, indeque materia nostra medica orbata esset medicamento validissimo,

quod III. Hufeland 2) acquisitionem ejus omnium recentiorum gravissimam aestimans, omnibus commendat medicis. Hinc elucet, utrique chemico franco-gallico laudes tribuendas esse haud minores, ac detectori ipsi.

Pelletier et Caventou 3) in experimentis suis summa cum cura circa omnes Chinæ species veniales factis, duas inter se differentes nacti sunt bases acido cinchonico junctas, quarum alteram appellaverunt Chininum, Chininam, Quininum sive principium Chinæ flavae, alteram vero Cinchoninum sive principium Chinæ fuscae. Initio chemici illi crediderunt, utramque hanc materiem haud una existere in China fusca atque flava, sed in rubra solum, unde nomen principii chinæ fuscae atque flavae enatum est, cui autem sententiae ipsa eorum seriora atque Celeberrimi Robiquet⁴⁾ scrutinia contradicunt, quibus manifestatum est, quamlibet harum Chinæ specierum officinalium non modo Chininum, sed etiam Cinchoninum, diversa tamen continere quantitate. Ita China flava regia (*Cinchona cordifolia*) minima quidem Cinchonini, maxima autem Chinini praedita est copia; testante Michaelis 5), cui

2) Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. 1823. St. 4. p. 124.

3) Annal. de chim. et de phys. tom. XV. 1820.

4) Tromsdorff's neues Journal der Pharmacie. Bd. VI. St. 2. p. 29.

5) Hufeland's Journ. 1824. St. 4. p. 109.

accuratum debemus conspectum de Chinini atque Cinchonini in omnibus corticis generibus venalibus copia contenta, corticis regii flavi in frustis planis obvii libra una grana ducenta octoginta sex Chinini vestigiumque modo Cinchonini largitur; in China fusca (*Cinchona Condaminea*) haec ratio est inversa, atque in China rubra (*Cinchona oblongifolia*) secundum alios nec unum, nec alterum praevalet principium, secundum alios vero plus Chinini praesto est, quam Cinchonini. Chinæ Carthagenaæ (*Portlandia hexandra*) parum usitatae, minimum tantum inest substantiarum dictarum, et Kina nova (quaenam *Cinchonae* species hanc largiatur, dubium est) nec non China St. Luciae (*Exostemma floribunda*) si chemico tractantur modo, observantibus Pelletier et Caventou 6) ad instar corticum adstringentium chinæ loco pro usu medico commendatorum e. g. cort. quercus, salicis, hippocastani materies offerunt illis basibus omnino absimiles.

Utraque substantia uno eodemque modo a China separari valet, Gomez⁷⁾ ad exigendum Cinchoninum suum ita agit: Extractum e China fusca alcoholis ope paratum reiteratis vicibus aqua lavat, quo substantia rubra haud solubilis, quae ei principium esse videtur extractivum, sejungatur; fluida decantata et filtrata ad siccitatem usque evaporantur; extractum residuum, ne minima quoque supersit principii extractivi copia,

6) Journal de Pharmacie 1824. No. III.

7) Tromsdorff. l. c. Bd. VI. St. 1 p. 8.

cum aqua tractatur alcalisata, tunc in spiritu vini solvit, atque solutio ipsa praecipitatur aqua destillata. Sedimentum lotum atque siccatum Cinchoninum sistit Lusitani Gomez, quod ex ambabus illis basibus mixtis atque unguinosae materiei Chineae parca compositum est quantitate.

Ut bases prorsus purae educantur alteraque ab altera secernatur Pelleter et Caventon 3) primi nos docuerunt parandi methodos, quarum una hanc praescribit rationem: China iterum atque iterum cum spiritu vini, serius per destillationem fugando, tractetur, quoinde extractum spirituosum tam diu lavetur cum solutione kalina magnopere diluta, donec omnem materiam amiserit colorantem. Kali enim hic duplice vires suas exercet modo, primum dum materiam solvit colorantem, tunc dum acidum cinchonicum attrahit principio junctum. Basis, cui adhuc aliquantulum Chineae materiei unguinosae adhaeret, ab hac separetur per solutionem acido in muriatico admodum diluto, cuius abitum efficies praecipitando cum kali. Praecipitatum in alcoholle solutum tunc, ut ambae discedant bases, ad crystallisandim seponendum est; Cinchoninum solum crystallos format, Chininum e contra in fluido solutum manet nec ullo alio modo, nisi dum alcohol per destillationem ausfugitur, puram exhiberi potest.

3) Annal. de chim. et de phys. 1820. t. XV. p. 280.

Alia utriusque chemici franco-gallici methodus extractum spirituosum cum acido muriatico sat diluto tractare, fluidum bases continuens cum magnesia praecipitare, praecipitatum ipsum cum aqua edulcoratum, in spiritu vini solvendam et ad crystallisationem seponendum esse, praecipit.

Recentioribus temporibus ratione has substantias parandi multisario modo mutata, haud exiguis inde enatus est parationum numerus, quarum, ob limitum tractatus mei angustias, graviores tantum commemorasse sufficiet.

Stratingh 9) Chineae libram unam cum quinque libris aquae ac acidi muriatici uncia dimidia granisque quadraginta octo per duas infundit horas, eandemque processum binis repetit vicibus, postea fluido filtrato, tantum, quantum acidi muriatici adhibuit, magnesiae addit sulphuricae, tunc kali caustico ad praecipitandum utitur, ac praecipitatam ortum edulcoratum atque siccatum per breve tempus cum alcoholis uncia una, cuius temperies viginti quinque aequat gradus, ebullire jubet, quo decantato residuum bis adhuc cum quatuor spiritus vini unciis simili tractat modo; omnibus fluidis demum destillationi tradi-

9) Scheikundige verhandeling over de Cinchonine en Quinine, bevattende eene opgaaf van derzelver verschillende bereidingen, eigenschappen, verbindingen en genceeskundige vermogen. Door S. Stratingh Dr. Med. en Apotheker. Groeningen, 1822.

tis Chinae bases, sejunctione jam memorata, purissimae prodeunt. — Idem auctor duarum adhuc aliarum methodorum mentionem facit, quarum altera corticis peruviani infusionem cum acido sulphurico diluto, aluminis admixtionem ac praecipitationem cum Kali carbonico docet, altera contra eo nititur, quod China in pulverem redacta tractatur cum mixtione ex aqua, acido sulphurico atque muriatico composita, fluida tunc praecipitantur cum calce, praecipitatumque spiritu vini extrahitur.

Degiorgi 10) Chine libram unam cum aqua, in qua pauxillum Kali solutum est, per nonnulla scriputa horae primaria ad ebulliendum ponit, posteaque decoctum filtrat; haec Chine cum aqua alcalisata ebullitio tam diu continuatur, donec aqua nullo sese prodat colore alieno. China, quae in hoc experimen-
to principium suum colorans ac expertise acidum suum amisit, cum aqua atque additamento parvo coquitur acidi muriatici, liquor fervens colatur ejusque acidum saturatur calce pura, quo facto sedimentum enascitur, quod exsiccat, cum spiritu vini leniter coquunt, solutionem filtrant ejusque $\frac{1}{2}$ per destillationem in retorta vitrea avolare jubent. In liquore remanente ambae offenduntur bases.

Henry 11) filius ad eruendum Chininum hanc

proponit viam: Tres Chine flavae regiae librae cum aquae libris viginti quinque unciisque duabus acidi sulphurici (vel illius loco unciis tribus acetii) ebulliant, deinde colentur, residuumque bis adhuc eodem tractetur modo. Decocis refrigeratis adsiduo agitando tam diu adjiciatur calx usta, donec adhuc prodeat sedimentum, quem ad finem novem circiter ad decem necessariae sunt calcis unciae. Sedimentum e calcaria sulphurica atque Chine basibus constans iu temperie = 60° R. in digestione ponatur cum sufficiente quantitate alcoholis, quod tam diu reiteretur cum alcohole recens accito, quamdiu amarum recipit saporem, et nunc denique destillando atque crystallando ex omnibus fluidis secernantur bases.

Methodi virorum Cel. Pelletier et Caventou, nec non ambae priores Cel. Stratingh nimis sunt prolixae minusque largae, cuius ultima methodus non minus ac Celeberrimorum Degiorgi et Henry (praeceptis ejus frequentissime hucusque usi sunt) hanc quidem objectionem non meretur, sed aliam: illo enim agendi modo nunquam fere praeparatum sincerum oriri dicunt. Quam ob causam Lincke 12) nuperrime hanc novam proposuit parationem, in qua Chininum ab omnibus partibus alienis liberatum nec minus lucrum quam in aliis prodeat: Chine flavae regiae librae tres digerantur, atque pluries ad perfectam extractio-

10) Repertorio medico-chirurg. per l'anno 1821. Torino.
11) Journal de Pharmacie. Nr. VII. Juill. 1821. p. 296.

12) Hufeland's Journ. 1824. St. V. p. 110.

nem cum aqua coquantur, quae tricesimam exceptit acidi sulphurici partem; fluido omni filtrato, natron carbonicum ad saturationem usque et ultra addatur praecipitatumque inde proficiscens ex ambabus basibus compositum, edulcoretur et siccatur; quae quomodo scungantur, iam pluries monui.

Praeter parandi modos jam memoratos, plures adhuc existant chemicorum franco-gallicorum et germanicorum, e.g. Badollier 13), Voretton 14), Coulomb 15), Robert 16), Callaud 17), Geiger, Buchner 18) etc., quos tamen ob causam jam supra adlatam praetermittendos censeo.

Cortex Chiae vel jam excoctus sat magnam adhuc Chinini quantitatem largitur, quia infundendo atque coquendo corticis cum aqua illud propter conubium suum cum resina atque materie unguinosa parca tantum eratitur copia; tali modo viginti quinque unciae residui e decoctis atque infusionibus Chiae primo Cel. Stratingh modo tractatae, superstitis, saturatione insequente Chinini cum acido sulphurico,

Chinini sulphurici praebuit drachmas quatuor cum dimidia. 19)

Virtutes Chinini physicae atque chemicae.

Chininum merum et exsiccatum massam praesentat porosam, squalide albam, quae difficile est solutu in aqua, cuius, si bullit, ducentenae, ac, si frigida est, plures adhuc ad solutionem exiguntur partes; aether sulphuricus vero et alcohol longe majorem ejus solvunt vim; olea fixa nec non aetherea aequa ac aqua minori praedita sunt solvendi facultate; quamvis difficulter ab aqua excipitur, sapore tamen gaudet amarissimo; odorem omnino nullum spirat; crystallos nunquam format; numerus stoechiometricus est = 368 (20); nullam ab aere atmosphaericо, cuius ne acidum quidem atrahit carbonicum, mutationem patitur; affinitate versus aquam haud omni ex parte caret, nam si ejus solutio in spiritu vini parum aquoso evaporatur, aquam singulari retinet cum vi, quo hydratum oritur perlucens, in temperie = 90° R. elixans, quod si aqua liberatur in calore diutius protracto, omnem suam, quamvis exiguum, in aqua solubilitatem prorsus amittit, speciemque recuperat massae porosae. In temperie aliqua Chininum avolat, idque praecipue contingit, ubi nonnihil adhuc possidet fluidi alicujus. Hoc

13) Annal. de chim. et de phys. t. XVII, Juill. 1821. p. 273.

14) ibidem p. 439

✓ 15) Medic. chirurg. Zeitung, fortgesetzt von Dr. J. N. Ehrhardt. Innsbruck 1823. Thl. 1. p. 137.

16) Gerson und Julius Magazin der ausländischen Literatur der gesammten Heilkunde und Arbeiten des ärztlichen Vereins zu Hamburg, 1821. Bd. 2. p. 554.

17) Journ. de Pharm. 1822. Avril.

18) Med. chirurg. Zeit. 1822. Thl. 1. p. 137.

19) Allgemeine medicinische Annalen von Dr. Joh. Friedr. Pierer und Dr. Ludwig Chouiant. 1824. p. 390.

20) Gmelin's Handbuch der theoret. Chemie. Frankfurt am Main, 1822. p. 1352.

phaenomenon egregie observare licet, si in tubo calcit vitro; major vero ejus pars inter hanc operationem discidium experitur, productaque offert materierum vegetabilium azotico immunium. Post decompositiōnem per ignem nullum superstes est substantiarum mineralium, alkalinarum vel terrearum vestigium. Si majori temperies cum cupri deutoxydo tractatur, acidum carbonicum producitur et aqua. Jodium, juvante aqua, ab eo mutatur in acidum hydriodicum atque iodicum, quae acida cum chinino forsan adhuc praeſente, haud decomposito, exemplo salia gignunt neutra, acido sulphurico cito deſtruenda. Nullam nec salium oxydorum ferri, nec tartari stibiat, nec gelatinæ animalis efficit praecipitationem. Chininum alkalinarum agit modo, coloremque chartæ probatoriae, acido aliquo in rubrum mutatum, restituit; cum acidis connubium init, quo salia amara, crystallina oriuntur, quibus omnibus nitor est margaritarum. Acidum sulphuricum, nitricum, muriaticum, phosphoricum, arsenicum atque aceticum cum Chinino salia sat bene solubilia, acidum e contra oxalicum, tartaricum et gallicum salia aegerrime solubilia formant (Caveas ergo, ne Chineae praeparata jungas cum tribus ultimis acidis; hoc enim connubio Chineae principium essentiale in materiem vix ne vix quidem solubilem forsanque omni efficacia privatam mutari possit). Chininum nitricum, si solutio est saturata, singularem possidet facultatem tam in calore, quam in frigore subsidendi

ex parte in guttulis olei speciem referentibus, quae minori expositae temperiei cerae similes fiunt. Chinini acetici solutio concentrata, calore parata, frigore in massam coit colore margaritarum.

Chininum atque Cinchoninum cum semper simul occurrant in Chineae corticibus, ac frequenter alterum cum altero confundatur, paucis referre Cinchonini virtutes, quo melius dignoscatur a Chinino, haud inutile duco.

Cinchonini virtutes physicae atque chemicae. Cinchoninum crystallos format acibus similes, decolores, pellucidas, prismaticas, Chineae quidem amarum, nec vero adstringentem habet saporem; nec tanta, quanta Chininum amaritie est praeditum; pro solutione aquae calidae poscit 2500 partes, in aqua frigida vix fere solubilis; solutio calore nacta, si refrigerescit, opali colores exhibet; ab alchohole prompte recipitur, aegre vero ab aethere sulphurico, vix aliquantulum ab oleis fixis et volatilibus; e solutionibus hisce crystallisando haud mutatnm exigunt; alkalice agit sicuti Chininum; numerus stoechiometricus est = 308; ad aërem atmosphaericum ejus acidum carbonicum adsumit; igni concessum in vasis occlnsis, tum primum liquefit, cum jam decomposita fuerit aliqua ejus pars; discidio ejus eaedem in conspectum veniunt ac apud Chininum materiae; acida eocum salia formant solubilia, crystallina, quae autem nitore matricis margaritarum, quo Chinini salia insigniuntur, carent; nullam init conjunctionem cum corporibus,

quae comburi possunt, nec cum iis, quorum connubium cum oxygenio non est acidum. Cinchoninum cum Jodio atque aqua easdem ac Chininum provocat mutationes. Cinchonini a Chinini salibus praeter colorem, forma adhuc differunt, ita e. g. Cinchoninum sulphuricum prismatis, Chininum sulphuricum vero acibus serici matricisque margaritarum colorem monstrantibus; Cinchoninum muriaticum acibus, Chininum contra muriaticum cirris quasi sericariis cognoscitur; Cinchoninum phosphoricum crystallis caret speciemque refert gummi haud absimilem, Chininum autem phosphoricum acus habet; ita et Cinchoninum arsenicicum nullas crystallos, Chininum arsenicicum prismaticas gignit acus; Cinchoninum aceticum admodum est solubile crystallosque praebet minutis, granosas, Chininum aceticum difficilius solvit, crystallisque prodit tenerrimis stellarum mergitumque forma.

Quodsi omnes mox nominatas Cinchonini virtutes colligimus, Chininum ab illo praesertim deficiente crystallos gignendi facultate, amaritie majori, eximia, qua solvi potest in aqua et aethere, vi, diverso pondere stoechiometrico, unionum nitore, omniumque salium suorum forma discrepare eluet. Interea non modo physicarum inter et chemicarum virtutum discrimen utriusque Chineae baseos limites sistit, sed etiam actionum in organismum humanum intensitas; Chininum valentia Cinchoninum multo superat, quod viri Cel. de la Faille, Gittermann, Stratingh alii-

que 21) luculenter demonstraverunt, quam ob causam Chininum tantum in medicaminum numerum est susceptum.

Sub finem hujus sectionis pauca adhuc addam, quibus confirmetur, Chineae vim imprimis adscribendam esse Chinino atque Cinchonino; cuius adserit experientia documentum offert perfectum, cum non modo omnia febris intermittentis genera, sed omnes fere morbi corticem peruvianum indicantes, basibus ejus debellati fuerint. Quibus si quis objiceret, in omnibus illis casibus res fortuitas forsan favisse bono illorum medicaminum nevorum successui, haec, ut res nullo obvia esset dubio, aliis adhuc examinibus 22) subjecta fuerunt. Hunc ad scopum plures aegroti febribus laborantes intermittentibus chineae corticem, basium expertem, solita in dosi acceperunt, quo nullum effectum experti sunt manifestum; basium ipsatum autem doses minimae brevi eos a febre liberaverunt. Porro aegros varias Chineae particulas proximas, quibus antehac principium efficax inesse crediderunt, v. c. principium coriarium, resinam, calcem cinchonicam, materiam fibrosam vegetabilem (Autentieh in hac tantum salubrem Chineae quaerit vim) adsumere jusserunt, nec laetiorem, quam in primo periculo viderunt eventum. — Praeter hos conatus se-

21) Medi chir. Zeit. Thl. 4. p. 239. — Stratingh l. c.

22) Tromsdorff l. c. Bd. VI. St. 1. p. 79.

quentes res gestae ad firmandam sententiam supra effatam optime conferunt: Variae Chine species efficaces a non efficacibus non solum externa earum conditio ne, sed etiam pluribus physicis chemicisque distinguuntur signis, ita e. g. illae sapore gaudent amaro, adstringente ac insigniter aromatico; atquin inter omnes Chine partes constitutivas proximas basibus solummodo amarities ac peculiaris sapor, cum illo corticis omnino fere congruens, convenit; hae vero, excepta materie aliquatenus adstringente, solubili, rubre colorante, sapore propemodum sunt immunes; ac quod chemicam attinet indolem, Séguin et Vauquelin experimentis affirmaverunt, decocta corticum, summam vim exercentium antipyreticam, si contactui decocti gallarum exponuntur turcicarum, multo largius efficere sedimentum, quam reliquorum minoris pretii. Cum vero scrutinium chemicum Chininum atque Cinchoninum unicas in China esse materies, quae ab accido gallico fundum petere coguntur, docterior, Chine vis peculiaris ab illis procul dubio pendet. Porro exploratum habemus, chine praeparata vinosa et spirituosa remedia esse aquosis longe validiora. Hoc enititur, quod bases a spiritu vini multo faciliter extipiuntur, quam ab aqua; nec minus medici treberrime animadverteunt, Extractum chine frigide paratum 23) longe minori, quam idem calore paratum, gaudere vi

23) ibidem.

Causam inutilitatis illius praeparati olim eruere non valuerunt, nobis autem propter materiei vere agentis notionem perspicua est; principium nimirum, aqua frigida vix solvit, quae hanc ob rem nonnisi parum chine basium, eo magis vero calcis cinchonicae, quae sat facile solvit nullamque paene vim exercet salubrem, retinet. — Denique materies e chine multifarie egestae, a quibus plures chemici chine vires derivarunt, nil aliud sistunt, nisi basium cum aliis partibus constitutivis proximis connubia; ita e. g. Cinchonithum Cel. Giese; viri omni laude digni Lauber principium valens, materies flava, conjunctio est basium cum matiere colorante; materies alba, quam idem chemicus ope aquae alkalisatae a China sejunxit, mixtio est utriusque baseos per materiem chine unguinosam inquinata; atque substantia, cui Reuss nomen dedit „amer cinchonique“, chine continet bases, calcem cinchonicam, materiemque colorantem.

Ceterum mox pronunciata in siccos modo valent chine cortices, recentibus enim atque humidis secundum observationes nonnullas; exceptis basibus materies adhuc aetherea febrifuga inesse videtur, cui argumento haec inserviat historia 24): possessor amplae cujusdam coloniae in Guiana corticis arboribus decerpti haud exiguum copiam collocaverat in cubiculis domi sua, locique angustiis coactus, in illis

24) Tromsdorff l. c. Bd. II. St. 2. p. 560.

plures hospites, quorum quidam febre correpti erant, tunc temporis grassante maligna, consociaverat. Primis jam commorationis diebus aegrotorum status in hac atmosphaera in melius abiit, ac mox omnes, neullo quidem medicamine adsumito, protinus convaluerant. Inopinato hoc successu mercator ad nonnulla experimenta incitatus, aliquos eodem morbo affectos aegrotos in horreum transtulit, quo Chine magna copia congesta erat, brevique cuncti sola chiae exhalatione sanati fuerunt. — Aetherea haec pars constitutiva positne artis praesidio a China recente sejungi, nec ne, nusquam memoratum inveni.

Fabbroni quidem et Tromsdorff²⁵⁾ e China quoque sicca oleum aethereum provocasse contendunt, aliis autem chemicis nullo modo id contigit; virtutes illius olei aetherei nulli subjectae fuerant examini.

25) Hecker's pract. Arzneimittellehre, Gotha u. Erfurt. 1819. Thl. 1. p. 245.

De Chinino sulphurico.

Chininum, in aqua tam aegre solubile, per neutralisationem cum acido aliquo potius reddi, majoraque solubilitatem adipisci crediderunt; hujuscemodi conjugium, quo praeparatum aegrotis in solutionibus quoque aquosis propinari possit, optatissimum erat. Hunc ad finem acidum elegerunt sulphuricum, cuius loco acidum aceticum 1), quod connubium nascatur multo solubilius, serius propositum est, quod vero consilium a pluribus rejectum est medicis.

Simplicissimus est Chininum sulphuricum parandi modus: Chinini puri methodis supra enarratis confecti exiguis quantitatibus acido sulphurico diluto ac

1) Harless. Rheinische Jahrbücher für Medicin und Chirurgie. 1822, Supplement Bd. zu dem I — IV. Bd. p. 248.

calefacto ad saturationem usque immissis, fluidum adhuc calidum quam primum filtratum, minori expontatur temperiei. Chininum sulphuricum in liquore refrigerato maxima ex parte subsidebit pulveris specie, parca ejus modo copia consequetur crystallinam formam non bene perspicuam; ut omnis massa in crystallos abeat, solvatur in alcohole octoginta quatuor graduum, quo facto solutio aliquantulum cocta ad crystallandum seponatur. Quodsi sal haud perfecte album evaderet, solutio in spiritu vini cum pauxillo prunae probe perustae et pulverisatae digeri, ac tunc crystallorum formationi tradi potest.

Chinini sulphurici virtutes physicae atque chemicae.

Crystallis hujuscce salis non semper una eademque est forma, ut plurimum acus aemulatur colore serici matricisque margaritarum vel tabulas angustas, oblongas, parum flexibiles, asbesto quodammodo similes; Robiquet 2) prismata quoque vidit firma, pellicula, complanata. Crystalli inter se intextae, vel se congregando fasciculos potius stelliformes gignentes, magna excellunt levitate. Idem auctor franco-

2) Stoltze's Berlinisches Jahrbuch für die Pharmacie und für die damit verbundenen Wissenschaften. Jahrgang XXIV. Abtheilung 2. p. 136.

galicus nuperrime se detexisse asserit, variam crystallorum formam non esse fortuitam, sed a ratione mutua acidum sulphuricum inter et basin pendere; sic v. c. Chininum sulphuricum prismatibus obvium, acida, e contra quod acus vel tabulas sistit, basica gaudere natura, quam vero utramque minime gustatu, sed, reagentibus chemicis cognoscere licuit, observavit. Connubium prorsus neutrale, sententia ejus, difficillime est provocandum. Ceteroquin nullum, quoad efficaciam, trium illorum salium vidi discri-
men. Chininum sulphuricum subacidulum majoris in aqua solubilitatis causa utrique reliquo sali praefert pro usu medico.

Chininum sulphuricum inodorum est, saporem causat constanter amarum chinaeque simillimum, aqua frigida aegrius, calida facilius solvit; alcohol permagnam, aether sulphuricus minimam ejus excipit partem; aeris successui traditum, nullam patitur mutationem; igni facilissime eliquat cereaque tunc nanoscitur speciem; sal ubi excandescit ad illum usque momentum, quo discidium perpetitur, pulchro tingitur colore rubro 3); sine ullo comburit residuo; si leniter calet, secundum Callaud admodum lucescit, illamque eo diutius retinet phosphorescentiam, quo purius, siccius et quo intentiori sal instructum est colore albo. Minimae jam acidi gallici, tartarici et

3) Journal de Pharm. Juill. 1821. p. 302.

oxalici quantitates solutionem ejus praecipitant, eundemque discessum alkalina fixa ammoniumque carent, dum cum salis acido sulphurico junguntur, basinque puram in floccis albissimis, comprimento subgriseam exhibentibus massam, deponunt. Analysis plurium aliarum media Chininum sulphuricum e Chinini 80, 9, acidi sulphurici 10, ac aquae 9, 1 partibus componi docuit.

Chininum sulphuricum a *Ginchonino* sulphurico faciliter eo distinguitur, quod hujuscemodi crystalli duriores sunt, densiores, magis regulares, nec colore uniuersum tinctae, quod amaritie ac fusionis capacitate minori, solubilitate verum majori est instructum.

Vires Chinini sulphurici in organismum humanum.

Magendie 4) baseos Chinini sulphurici venenosos metuens effectus, quales et Morphium ac Strychninum aliaeque bases plantarum, quoad alkalinas virtutes illi similes, producunt, iterum atque iterum in canibus scrutinia fecit, quibus sat magnas doses tum per vias cibarias ingessit, tum per venas absqueulla injecit noxa.

Idem, ut remedii nostri, quomodo in organismum agat humanum, disceret, dosibus modo mino-

4) Tromsdorff l. c. Bd. vj. St. i. p. 136.

ribus, modo largioribus adhibitis, haec comperit: Exiguae hujus salis copiae in cordis scrobiculo gravatum, aliis organis radiatim sese communicantem provocabant calorem, arteriarum pulsus vigidor reddebatur, diaphoresis apparebat levis, omnesque protinus functiones aucta cum energia procedere videbantur. — Largiores doses eadem quidem phænomena, ast intentiori adferbant in gradu. Continuus majorum hujus salis dosum usus aestuationem inducebant his symptomatis perspicuum: siccitatem, levique in cavitate oris ardore, lingua magis siccata, quam humida, punctata, tanquam lanuginosa, muco ex albido flavescente obducta et apice papillis ruberrimis praedita, ardore faucium post quamlibet ciborum adsumptionem, leni contractionis fauci sensu, rebus incitantibus deglutitis aucto; porro siti, borborygmi, flatibus, ructibus frequentioribus, totius cutis et in primis manuum calore validiori; interdum alvi obstructione, quae, sale frequentissime propinato, pericacior reddebatur; urina recens missa limpida et opaca, ubi refrixit hypostasin depositum atque galactobutyro quodammodo similis evasit. — Magendie alia adhuc symptomata singularia, usu diu continuato, sese animadvertisse refert, qualia enumerat maculas purpureas, rubidas in volarum manum planicie, peculiaremque ad deponendum mucum dentibus adhaerentem, massamque sic dictam tartaream exhibentem, dispositionem, quae vero signa, cum plerumque non

observata fuerint, alii fortasse causis ortum debent fortuitis.

Chininum sulphuricum ex legibus doctrinae homoeopathicae Celebrissimi Hahnemann, quibus, ut constat, unum idemque remedium, sano homini portrectum, illum inferat morbum, quem alias plurima ex parte tollit, febrem intermittentem gignere posse, experimentis physiologicis hactenus factis, adhuc non est comprobatum, nec unquam probatum iri, persuasum habemus. Licet enim illius doctrinae auctor chinate pulvere in hominibus sanis febrem intermittentem ortam viderit, revera id indigestioni solum aliisque affectionibus gastricis, per majorem pulvretis dosin digestiois organis infestam provocatis (haec mala quaenunque alia substantia difficilis digestu cire pollet), nec principio chinate vere agenti accensendum autumo, quod, nec vero aliter nisi immodece sumptum, febrem inflammatoriam potius gigneret, ut experimeta supra citata docent. — Ad examinandam auctoris illius sententiam haud longe abhinc quatuor literarum studiosi 5) hocce periculò usi sunt illam infringentes: singulus eorum Tincturæ Chineæ (quia ad validissima pertinet praeparata), e Chineæ optimae uncia una, spiritusque vini uncia sex paratae, sufficiente aquae quantitate dilutae, uncias sex uno nychthemero hau-

5) Joerg's kritisches Heft für Aerzte und Wundärzte.
Leipzig. 1822.

sit; effectus compositi erant ex illis spiritus vini atque chineæ, brevi tempore cesserunt, nec ullum in conspectum venit febris intermittentis vestigium.

Ex omnibus jam relatis phaenomenis Chinino sulphurico provocatis proficiisci videtur, illud primarie incitando agere in plexus nervorum abdominales ac in vasorum systema, qua ultima vi verisimiliter impressionem, quam in cutem facit atque organa uro-poëtica, deducere licet. — Usu remedij nostri in affectibus morborum experti sumus, ei pariter ac chinate potestatem inesse energiam amissam fibrae organicae reddendi, debellandique morbos per certos circuitus recurrentes, praesertim febres intermitentes, ac tales, in quibus sejunctio materierum in putredinem vergens vel instat, vel jamjam prodiit. Medicamentum ergo voce technica stimulans est, topicum, antipyreticum ac antisепticum. Omnibus his virtutibus multo majori in gradu pollet, quam cortex peruvianus. —

Quomodo hoc praeparatum in corpus nostrum ad infringendos morbos, potissimum febres intermitentes, agat, id nihilo magis, quam corticis peruviani omniumque fere promptuarii medici praeisdiorum enucleatum est. Hypothesium turbæ circa hoc thema fitiarum novam addere, cum in hodierna artis medicae conditione non minus anceps evaderet, quam reliquæ, superfluum duco.

Chinini sulphurici usus medicus.

Quod generales nostri remedii indicationes attinet, illud, cum peculiaribus Chinae gaudet facultibus, in iisdem affectionibus pathologicis (paucis forte exclusis, in quibus cortex peruvianus principio corriario, cuius nostrum praeparatum expers est, efficientiam suam exserit, v. c. in usu externo), quibus Chinam adhibemus, postulatur; huc referuntur potissimum omnes febris intermittentis species, in quibus cuncta alia antipyretica superat; porro omnes morbi praevalentes cum adynamia, ubi magna fibrarum muscularium telaque cellulosae excellit relaxatio, morbi ad putredinem proni, vel ab ea jam comitati v. c. febris putrida, gangraena, denique plures nervorum aegritudines, periodos regulares servantes, e. g. neuralgiae.

Licet omnes fere Chinini sulphurici indicationes cum iis corticis peruviani congruant, nihilo tamen seclusis res aliter se habet cum contraindicationibus; in eximia organorum digestionis debilitate, quae febres asthenicas, cahexias stipat, cortex minime in usum trahendus est; utpote quem illa organa, nec si in validiorum pulveris formam redactus est, nec decoctum rite deponere ac adsimilare pollut. Infusiones Chineae faciles concoctu aegrotantibus malis dictis corripitis forsitan conducerent, ni haec parationes, ut jam attuli, minimam solum continerent materie proprias

valentis quantitatem propter arctissimum cum resina nexum indeque exortam, qua vix solubilis redditur facultatem, unde nullum adjumentum majoris momenti est exspectandum; Chinintum contra sulphuricum nulli illarum oppositionum est obnoxium, quippe quod omnem chineam vim salutiferam complectens, exigua quidem, sed sufficiente dosi tractu intestinorum vel invalidissimo subigitur, inque fluida corporis traducitur. Hoc praeparato vel in febribus intermittentibus cum primarum viarum cruditatibus adhibito symptomata, quae Chineae hic porrectae pedisse, quae esse consuecant, ut offensiones functionum gastricarum, spasmus ventriculi, alvus citus, vomitus etc. non modo non apparuerunt, sed febris etiam plane evanuit. Quae cum ita res se habeat, tamen non suaderem, ut in his complicationibus sine ullo praebetur medicamine evacuante praevio, etenim id solum febrem tollere valeret, atque ni hic fieret, tamen remoto statu gastrico, quo potentia remedii magis minusve varie transformatur, virium Chinini sulphurici meliorem adipiscimur conspectum. Solummodo ubi minor status gastricus praestet, sordes atonia organorum nituntur digestionis dicatorum, ubique res accessionum febris intermittentis citissimum postulant abactum, nec materies cumulatae degenerataeque expeditius educi possunt, emeticis laxantibusque haud praemissis, praesentarius Chinini sulphurici usus indicatus est.

Ceteroquin praesidium nostrum ad instar Chinæ febribus atque inflammationibus hypersthenicis, quas ob nimiam systematis irritabilis incitationem deteriores redderet, vetatur. Actio systematis nervorum aucta, accessiones nervosae usui ejus non quidem obstant, tamen suaserim, ut cum Opio, Hyoscyamo aliisque narcoticis jungatur. Ut primum Chininum sulphuricum statim adfert inflammatorium activum, pulsus duro ac tenso, lingua cuteque sicca cognoscendum, usus ejus extemplo est omittendus.

Quamvis paucis deinceps annis Chininum sulphuricum nobis innotuerit, nihil tamen secius vires ejus medicatrices in diversissimis jam affectionibus morboscutatae atque pericula praemio ut plurimum optatissimo affecta sunt. Omnes hos morbos, observationibusque nonnullis additis, eas quoque spectemus aegrotationes, qnibus ex indicationibus suis generalibus adaptatum esse videtur, ac postremo videamus, quare cortice peruviano praeferendum sit.

Remedium est adhibitum in morbis sequentibus:

I. In *febribus intermittentibus*. Chininum cum partem sistat constitutivam Chinæ, eodem plane modo ad vincendam febrem intermittentem quasi specificè agèntis, jure credidérunt hunc morbum optimum fore Chinini lapidem Lyditum. Pelletier et Caventou Chininum purum pluribus in aegris, febre intermitente affectis, tanta cum prosperitate tenta-

verunt, ut protinus in libello aliquo⁶⁾ certissimum nuncuparent febris fugum. Paullo post Chininum sulphuricum hoc in morbo Chomel⁷⁾ examinavit, qui, ut experimentorum suorum rectam faceret summam, his praecipue rebus animum attendit: 1) remedium ibi solum adhibuit, ubi febris intermittens symptomatis suis peculiaribus citra ullum dubium insignita fuit; 2) ubi ex omnibus rite concludere potuit, paroxysmos sponte i.e. sine medicamentis, non cessuros esse; 3) antequam remedium propinaret semper quorundam accessuum redditum exspectavit, cum ob ingressum aegroti in nosocomium, indeque fluentem diaetae regiminisque mutationem paroxysmorum series interrumpi potuisse; 4) eandem ob causam novum mansit insultum, quotiescumque remedium vomitum ciens, vel alvuni expediens, vel sauguinis missio antecesserant; 5) nullo alio adminiculo mixtum prescripsit illud in aquae cochlæribus cibariis aliquot solutum; 6) primam dosin plerumque granorum vj—vjj nisi febrem suppressare poluit, duplicavit; in febre diu commorante atque pervicaciōri, initio confestim validiorem porrexit dosin; 8) alias idem, quod ae-

6) Analyse chimique des quinquina, par M. M. Peltier et Caventou, membres d'académie royale de médecine, suivie d'observations médicales sur l'emploi de la quinine et de la cinchoninè. Paris chez Colaz.

7) Tromadorff l. c. Bd. VI. St. 1. p. 130.

grotis in China adsumenda est observandum, praecipit; 9) pro potu syrupum tartaratum cum aqua, manequ insus, radicis cichorei dedit. Dietam digestionis viribus adaptavit.

Hanc methodum Chomel in tredecim aegrotis secutus est, ejusque observationes sequentia docent: decem aegroti omnino in integrum restituti sunt, duobus levamen solum attulit, ac unus eorum ne hoc quidem gavisus est. Sanatorium quinque post primam, reliqui post secundam denum dosin febre immunes redditi fuerint. Aegrotum, cui medicamen nihil prorsus profuit, nec China juvavit. Media ad febrem intermittentem tollendam quantitas grana erant X ad XII. Praeparatum dimidia hora ante paroxysmum exhibitum, hunc non quidem, sed subsequentem detinuit, atque dosi quavis vice minuta, sex vel octo dies post febres quotidianas et quatuordecim post tertianas in usum vocatum, omnes arcebat recidiwas. Litteret multis in aegrotis, hoc modo tractatis, morbi regressu sautum sit venaesectionibus, balneis ac indigestionibus praesentibus, nullae tamen recidivae apparuerunt. —

Double 8) observationibus circa Chininum sulphuricum a Cel. viris Pelletier, Cauentou et Chomel factis, commotus hocce crebro tentavit in omnibus fe-

8) Journal general de médecine. Janvier 1821.

bris intermittentis formis eventumque prosperrimum ac praesentaneum expertus est; quin imo in casibus deterioribus et complicatis, uti in febribus quartanis cum molestiis gastricis, tumore hypochondrii dextri infirmitateque universalis, non modo febris, sed alia quoque incommoda disparuerunt. In febribus, quibus jam omnia reliqua incassum apposita fuerant antipyretica, nostrum ei auxilium tulit praesens. — Maanen 9) Amstelodami, ergo in regione, quae propter situm plurimas ac summe decretorias admittit de febrifugis animadversiones, sexaginta febres intermitentes tum simplices, tum malignas ac larvatas eocum domuit. — Duval 10) in epidemia aliqua sedecim sanavit aegrotos; tempore apyretico grana duodecim refracta in dosi, semelque in tertiana per inacissima gr. xxij praebuit; ubique fere, si quam proxime insulsi ingressuro remedium adsumitur, is in conspectum non venit. Atquin haec ab auctoritate Celeberrimi Chomel dissentinunt, utpote qui non ita brevi ante paroxysmum suppressendum Chininum propinandum esse suadet, quo neglecto insequens modo arcetur: mihi quoque ultima agendi ratio propter causam infra nominandam arridet.

Pietro Mariannii 11) vicies sexies febrem inter-

9) Hufeland's Journal 1823. St. 4. p. 124.

10) Med. chirurg. Zeit. 1823. Bd. III. p. 55.

11) Hufeland's Journ. 1824. St. 5. p. 103.

mittentem, quae in quibusdam aegrotis typum servavit quartanum, ac in duobus deterrimum p[re]se tulit characterem, debellavit; illis, qui nondum juvenilem transgressi fuerunt aetatem, bis tantum granorum, quantum annos nati erant, praebuit; verum haec dosis nimis magna esse videtur, saltem omnes alii medici maxima ex parte minorem quantitatem satis esse viderunt. — Gittermann¹²⁾ occasione oblata in febre intermitte aliqua epidemice grassante, curationem suscepit circa centum aegrotorum, inter quos infantes erant scnesque, quin imo nonagenarius, ac in cunctis fere Chinini vim praesentem est expertus, vel ubi jam omnes Chine formulae irrito tentatae fuerant; adultis in intermissione grana duo, ter, ad summum quater, infantibusque granum unum in pulvere dedit cum pauxillo sacchari albi, vel elaeosacchari. — Roy et Bernard¹³⁾ quoque in omnibus febribus intermittentibus, quin imo ubi plurium momentorum causa contraindicatum erat, expeditissimam tutissimamque eo perpetraverunt sanationem; nec minus Michaelis¹⁴⁾ et Oppert¹⁵⁾, qui eo utebantur in

12) Harless l. c. Bd. vij. St. 3. p. 16.

13) Waarneingen, gedaan met het Sulfat de Quinine, door C. H. a. Roy, nevens eene waarneming over hetzelfde onderwerp, van J. C. Bernard, Amsterdam 1822.

14) Hufeland's Journ. 1824. St. jv. p. III.

15) ibidem 1823. St. vij. p. 82.

febribus quotidianis et quartanis, quatum nulla infra octo dies, ac binae jam quatuor septimanas et ultra perstiterant; minima, ad febrem suppressandam dosis grana sex, maxima gr. xij erant; ad curam secundariam perficiendam gr. jv — vijj satis fecerunt; in quatuor aegrotantibus post remedii usum proximus paroxysmus illico cessavit, in duobus vero posterus, duoque aegri verisimiliter, quia curam secundariam praescriptam neglexerint simulque errores commisent diaeticos, recidivas perpetierunt, quae vero praeparato nostro celerrime cesserunt. — Heim Barolini¹⁶⁾, antequam Chininum sulphuricum examinavet, maxime confidebat in febribus intermittentibus Arsenico, quod vero deserens, in illud sese convertit. — Hufeland¹⁷⁾ ejus ope inter alia febrem ad finem perduxit intermittentem, quae dimidium jam duraverat annum; atque in nosocomio Berolinensi (Charité) eundem morbum trismo tetanoque stipatum observavit, qui, postquam corticis Chine 3ix nequidquam porrectae fuerant, aeger illius grana tria accepit omni trihorio cum Opii gr. jv — v, quo paroxysmus proximus prioribus longe lenior evasit, breviq[ue] haec febris maligna sublata est. — Wiedemann¹⁸⁾ octo dosibus, quarum singulae grana erant duo, duas febres inter-

16) ibidem 1823. St. jv. p. 124.

17) ibidem.

18) Rust's Magazin. Bd. XVII. Heft 1. p. 135.

mittentes sic dictas larvatas removit, ubi loco paroxysmi vomitus biliosus, diarrhoea, congestiones versus caput cum atrocissimis ejus doloribus, ac semel spasmi simul clonici musculorum sinistri corporis lateris in conspectum venerunt.

Praeter jam memoratos multi adhuc medici 19) evidentissimo cum successu Chinini sulphurici tentaverunt vires.

Observationibus hisce collectis medicorum nostratum animadversiones additurns, aliquos horum virorum in arte medica peritissimos rogavi ut mecum, quae de ea re experti fuerint, communicarent; quod cum contigerit, quae mihi candidi impertiebant, simul cum experimento, a me ipso facto, nunc referam.

In clinico hujus literarum universitatis medico, cui Cel. Prof. Struve praest, remedium nostrum hucusque semel tantum in febre intermittente examini subjectum est, atque uti morbi historia mox enarranda docet, spem non desituit: — V. F. puella duode-

19) Med. chirurg. Zeitung 1823. Th. I. p. 239. — Th. III. p. 400 — 1824. Th. II. p. 145. 277. — Allg. med. Annal. 1823. p. 284. 285. — Jahrgang. 1824. p. 1072. — Hufeland's Journal. 1824. St. v. p. 103. — Harless. I. c. 1824. Supplementband zu dem I. und IV. Band. p. 295. — Hufeland's und Osann's Bibliotheck der practischen Heilkunde. Bd. L. p. 563. — Med. chirurg. Zeitung. 1823. Bd. III. p. 62.

viginti annos nata, constitutionis laxae, ineunte mente Mart. a. c. inter convalescentiam ex arachnitide febre infestata est intermittente, cujus duo priores insultus tertianum, relqui quotidianum exhibebant typum. Post quartum paroxysmum quatuor pulveres, quorum singulus ex Chinini sulphurici gr. j. ac aliquantulo sacchari constitut, praescribebantur ita, ut duo tempore antemeridiano intra aliquot horas ante accessionem febrem, reliqui duo post eam sumerentur. Paroxysmo quinto reliquis hand mitiori apparente, pulveres insequente die reiterabantur, quo demum febris prorsus cessavit, nec hucusque, praeterlapsis aliquot hebdomadibus, rediit.

Viri Cel. Wilpert, de Zeeckel et Mebes, medici Rigenses, sequentes animadversiones de nostro remedio ad me pertulerunt.

M. B. semina quaedam die xij. m. Martii a. MD. CCCXXIV. vehementem insultum febris intermittentis, qui d. xxiv. rediit, persessa erat. Quamvis emeticum ac salis ammoniaci solutionem acceperat, tamen paroxysmi die xvij et xvijj eadem erant atrocitate, quam priores. Nunc die xix Chinini sulphurici quatuor doses granorum jv, ac die xx tempore matutino quinta praebebatur dosis, quo facto eodem die febris disperguit. Hoc sequentibusque diebus aegra quatuor eodem pulverum, posteaque per aliquot dies duos tantum accepit. Febre subacta appetitus, alvi excretionis, viriumque conditio illico fere normales evase.

rant. Munera autem, quibus femina fungebatur ejusmodi erant, ut quotidie aëri humido frigidiorique propre fluminis ripam obnoxia esset, quare recidivam experiebatur die xij. m. April, quae autem ipso remedio non minus expedite sublata est. — Media ejusdem anni aestate paroxysmus rursus illam accedebat, sed pulvere, quem sponte sibi parari jussit, morbum fugavit.

E. P., puer sex annorum, die XXI. m. Martii febre intermitte correptus erat, quae brevi vires ejus magnopere infregit. Remoto statu gastrico Chininum tertia quoque hora porrigebant. Licet paroxysmus inscuturus non apparuerit, tamen adhuc aliquot doses ordinabantur. Virium languor ac appetentia ciborum turbata mox redierunt. Interea forsitan praecocius remediis usum interruperant, nam d. XIV. m. April aegrotulus depono in febrem incidit. Chininum rursus proximum arcens insultum febrilem consilio per aliquot dies est continuatum, quo facto, etsi puer diebus majalibus saepenumero sese exponeret horridae in litoribus lacus alicuius tempesta*t*, sanitatem tamen recuperatam servavit.

Eugenius D., tres annos natus, scrophulosus, exanthemate aliquo capitis affectus, qui jam prius inter dentitionem molestiis spasticis correptus fuerat, die VI. m. Junii a. MDCCXXIV atrocissimos expertus est dolores colicos, postridie nervorum distensiones universales accessionesque febiles. A die inde X. m.

Jun. remotis spasmis quotidie unus prodiit paroxysmus; debilitas erat insignis. Nunc tercia quoque hora Chinini sulphurici gr.β. porrigebatur, quoinde die tercia post hac febri finis est impositus.

B. M. die XXI. m. Jul. aegrotans rediit ab ora maritima, ubi inter lavacri usum improvidum febrem nactus erat sat gravem. Primus insultus magno cum rigore inchoaverat, diebus sequentibus aegrotus jugiter febricitare visus est. Dolores capitis insignes eraur, aestns eximius, deliria frequentiora, viresque valde languebant. Dierum primorum curatio erat antiphlogistica. Serius exacerbationum ac remissionum, nunc magis distinctarum, decursus febris intermittentis efformationem indicabat. Chinini sulphurici omni trihorio gr. jv. propinata biduo febrem omnino finiebant, ac convalescentia morbi gravioris ratione perbrevia erat recidivisque carebat.

Frederica D., infans anniculus mense Jul a. MDCCXXIV variis affectionibus spasmodicis et febrilibus obnoxius fuerat, quae procul dubio a dentitione difficile pendentes, post eruptionem duorum dentium desierant; ab Idibus inde August. iterum laborare visus est dentibus, initiumque aegrotationis vomitus erat repetitus ac diarrhoea; febris mox apparen*s* genuinam febris intermittentis tertianae speciem prae se tulit. Variis medicamentis contra dentitionem laboriosam nequidquam tentatis, Chinini gr.β aegro-

tula accepit ter ad quater de die. Semei adhuc febris recruduit, postea nunquam.

G., femina juvenis ac vegeta, tribus deinceps veribus exeunte semper mense Martio febre intermitte-
te tertiana erat infestata, quae postremo in quotidiana abiit. Endemica huic febri, quia aegrota in re-
gione atque domicilio versabatur salubribus, causa esse non potuit, nec tunc temporis febres intermitte-
tes populariter grassabant. Febris certo anni tempori adstricta videbatur, licet enim aegrota inter tempus relative periculosum diaetam regimenque aptum diligenter observaret, tamen febre fuit correpta. Ae-
grota semper quidem amaris ac china sat cito a febre liberabatur, unam vero saltem recidivam vitare non potuit. Cum tempore vernali a. MDCCCXXIII. febris sese manifestaret, post status gastrici remotionem prae-
viam, statim porrigebant Chinini sulphurici gr.jv. cum saccharo albo pro usu quotidiano, quae cum ter repetita essent, febris, tertianum nunc ostendens typum, cessavit. — Initio veris a. MDCCCXXIV omnia qui-
dem regrediebantur febris intermittentis symptomata, nullus autem conspicuus fiebat paroxysmus verus, etsi certis horis horripilationes doloresque capitis, quos tamen nec aestus, nec sudor excipiebant, adessent. Cum abdominis affectiones defecerunt, febris evolutionem non exspectantes, exemplo Chinini sulphurici gr.jjj, quater de die exhibuerunt, jamque postridie fe-
brem amoverant, quae, remedio octiduo adhuc pro-

pinato, hand amplius in conspectum venit. Suppres-
sio febris nondum efformatae nullum attulit damnum.

N. de F. puer quinquennis vere a. MDCCCXXIV febrem experiebatur intermittentem tertianam, cui remedia amara absque successu opponebantur, quoniam aegrotans illa fastidiebat, materque amore victa ordinem praeceptum negligebat; Chinini autem sulphuri-
ci omni bihorio grano uno cum saccharo exhibito, ita ut gr.vj — vij nychthemero sumerentur, febris mox expers factus est aegrotans.

S. femina juvenis, quatuor mensibus abhinc nup-
ta, tribus fere mensibus gravida, prius; praeter alvi obstructionem frequentem, ut plurimum sana, mense Novembr. a. MDCCCXXIV nonnullis ex hebdomadi-
bus conquerebatur vomitum gravem symptomati-
cum, per omnem fere diem febricitabat, tantum sentiebat languorem, ut lectum vix deserere posset, al-
vumque habebat duram. Potio Riveri ac nonnulla alia medicamina vomitum mitigabant, febris vero intermittebat evasit quotidiana indolis nervosae. Ner-
vina atque amara aromatica adhibebantur nec non clysmata. Aegrota affectione quidem nervosa alvique obstipatione immunis reddebat, nec vero febre intermitente, quae indies paroxysmos magis manifes-
tos formans in apyrexia aegram lectum linquere sine-
bat. Quare ad Chiane transiebant praeparata mino-
ris efficacie, quae aegrotans cum appetitum delerent,
abdomenque nimis implerent, male cerebat. Inter ea

quatuordecim diebus totidem insultus febries contigerant, quare Chinini sulphurici petebant auxilium, cuius in apyrexia omni bishorio duo praebebant grana, biduoque elapso, quo scrupulum unum erat ingestum, insultus non rediit. Septimanam adhuc gr.jj quater per nychthemeron exhibuerunt, febris ex toto quievit, et a primo inde die, quo Chininum adjecto gr.j. cinnamom. pauxilloque sacchari in usum est vocatum, alvus absque ulla molestia deponebatur vomitusque levabatur. Aegrota expedite sanitatem recuperavit. Feminam aliquam quadraginta annorum frigore excepto febris invasit intermittens, quae, cum aliquos ostendisset paroxysmos, Chine pulvere abacta fuit. Morbi autem reditus, paullo post nimio piscium esu advectus, typi prioris tertiani loco quotidianum monstravit. Complicationibus gastricis emetico remotis, in auxilium vocabant Chinam in substantia, quae vero nec in hac, nec in aliis formis febri vincendae parerat. Interea accessiones ita sibi appropinquaverant, ut apyrexiae vix duas ad tres morarentur horas. Ventriculus nunc prorsus respuebat corticem peruv., quo exhibito protinus sequebantur mox vomitus, mox diarrhoeae; quae cum ita res se haberent, in apyrexia subsequente pilulas propinare decretum est compositas ex Chinini sulphurici gr.x Opiiique gr.jj. talique modo quinque diebus aegrota summo in periculo versans, a febre omnino liberata est. —

G., femina triginta sex annos nata, d. XVII. m.

Mart. anni praeteriti tertia temporis pomeridiani hora subito corripiebatur algore valido, quem interposito horae spatio calor sequebatur cum ejectione sanguinis floridi copiosa, tussi atroci stipata; simul capitis dolores, sitis ardens, pulsus durus atque plenus adfuerunt. Apparatum antiphlogisticum licet statim in usum vocarent, nihilominus tamen haemoptysis paullatim decrescens circa tres perstabant horas. Postero die aegera de lassitudine tantum querebatur; antiphlogistica continuabantur. Tertio die mane tam bene valebat, ut medicamenta plane omittere, potumque solummodo citratum exhibere, optimum ducerent; ast, pro dolor! tertia demum a meridie hora, cum iidem ac primo die redirent accessus, vel imo fortiores, verum morbi genium patebat. Cum intermittens morbi character manifestus esset, de febre intermittente larvata haud amplius dubitandum erat. Primo nitrum in emulsione adjecto, tussis gravioris causa, pauxillo Extr. Hyoscyami porrigebant, potum praescribebant citratum, furisque sinapiemos imponebant. Duabus post horis pneumorrhagiam sedatam sudor secutus est abundans. Nocte quiete peracta, tempore antemeridianano quarti diei altera quaque hora Chinini sulphurici gr.jj. exhibebantur. Exceptis doloribus, artuum capitisque haud ita vehementibus, tempore pomeridianano quinti diei nulla alia conspicua erat affectio morbosa. Remedium octiduo, dosi quavis vice mi-

mua, adhuc porrectum, aegrotam omni ex parte sanavit.

Quaedam puerpera, ipsa nato lac praebens, puerperioque gandens aequo, decimo ex partu die febrem experta est intermittentem tertianam, quae nonnullis Chinini sulphurici domita est dosibus. Inter usum remedii lactis secretio rite processit, atque infans bene valuit.

In casu mox referendo vim siam probavit admiculum nostrum celeriter febrem suppressiendo; sed quoniam hic febris propter naturae conamina tolli non debuit, febris sanatio nimis praecox noxiun genuit effectum.

S. femina quaedam, morbis multisariis, potissimum frequentibus metrorrhagiis admodum debilitata, mense Iunia MDCCXXIV vehementem febrem rheumaticam, characterem mox adsumens nervosum, persessa est. Dolores capitii acerrimi, in quavis exacerbatione statum spasticum universalem producentes, vigiliae, ciborum appetentia deleta, atque febris vires aegrotae cito consumserunt. Inter remediorum congruorum usum febris remissiones monstrare incepit magis distinctas, doloribusque maximam partem remotis, typum adsumsit intermittentem. Nimurum hic rei exitus spem intulit, mox tamen vires post quamvis accessionem febrilem magis magisque languebant, indeque a remedii antirheumaticis cum nervinis junctis, ad Chinam et Serpentariam in decocto - infuso

cum aethere sulphurico, ac cum insultus et illis non cederent, ad Quininum erat consugiendum; hujus nempe tertia posteaque altera quavis hora gr.jv. porrigebantur, non neglecto Chineae decocto cum Serpentaria atque naphtha. Accessiones febiles tunc disperabant, vires rediebant, sed jam nonnullis diebus praeterlapsis valetudo secunda in adversam mutata erat, variaeque affectiones metum injiciebant medico, quae cum tribuerentur nimio Chinini usui, doses ejus binae tantum quotidie praebebantur; nihilominus tamen insultus febiles vires summe infirmantes rursus apparebant, quae postquam frequentioribus remotae erant illius remedii dosibus, usum ejus adhuc per aliquot dies continuabant. Febris evanuit, aegrota convalescere videbatur, postea tamen omnia in pejus abiernant. Inquietudo, sensations molestae, vigiliae, anxietatesque crebriores aderant ac loco exacerbationum febrilium aliquoties in conspectum venerunt pectoris oppressiones suspiciose, lipothymiae accessus phaenomenaque spasmatica, ita ut naturae conatibus nullum objicere impedimentum, in consilio esset. Chinini non modo, sed Chineae quoque usu protinus suspenso, Serpentariae ac Valeriana infusum cum liquore ammon. succin. et aethere sulphurico, vesperique Opii unam dederunt dosin. Nunc genuini febris intermittentis rursus prodierunt aliquot paroxysmi prioribus mitiores. Sensim medicamentis mox citatis radice e Caryophyllatam, columbo iisque similia addiderunt

octoque diebus febris evanuit, ciborum appetentia somnoque reducibus, aegrota omni ex parte est sanata.

Praeter has observationes medici supra allati, plerique alii artem medicam Rigae excercentes febres intermittentes multis in casibus prompte depulerunt, effectum constantem, nec unquam damnosum hoc medio productum viderunt.

Ipsi mihi vis Chinini sulphurici hoc in casu innotuit: — Anna, mulier nup^a viginti octo annorum, constitutionis plethoricae, menstruo sanguinis cursu semper gaudens regulari, ante hos duos annos per novem septimanas febre laboravit intermittente tertiana, ex quo tempore hucusque optime valuit. Medio mense Mart. a. c. rursus eam invasit febris intermittens, quae haud secus ac prius typum servavit tertianum. Nulla conspiciebantur prodroma peculiaria, paroxysmi atrocissimi erant, rigor ultra dimidiā horam protrahebatur, aestus duabus absolvēbatur horis, accedebant insuper dolores capitis eximii. Primi paroxysmi quinta ipsa incipiebant hora pomeridiana, reliqui a tertio inde magis magisque anticipabant, ita ut quintus tertia jam sese manifestaret hora. In intermissionibus dolores solum capitis, lassitudinem, ciborumque appetitum deletum querebatur, spretaque adversa valetudine muneribus perpetrandis servilibus adhuc par erat. Aegritudinis causa probabiliter inēris constitutione hic loci nunc regnante, ad gignendas febres intermittentes prona, est quaerenda, cui

aegrota eo magis obnoxia erat, quia in regione degebat humida, humili, proprie fluminis ripam. Post tertiam accessionem ammonium muriaticum cum natro sulphurico propinatum, febrem in decursu non intercepit; ceteroquin aegra inter omne tempus febrile nullo usa erat medicamine. Sextum demum post paroxysmum meae curae aegra tradita est. Cum febris eam parum infirmasset, atque nec reproductivae, nec utriusque reliquae organismi sphaerae majores adessent turbae, nullo praecedente remedio- curationem statim cum Chinino sulphurico incipiendam esse, optimum duxi. Nulla complicatione praesente, febreque haud diu morante, spes erat, parca antipyretici quantitate morbum terminari posse. Hinc tres tantummodo pulveres, quorum singulus ex Chinini sulphurici gr̄. 3. cum pauxillo sacchari albi constitutus, intra sex ultimas horas ante paroxysmum dedi, quo facta hic sese quidem manifestavit, sed vehementia infracta moaque breviori; priores nempe duabus vel tribus demum terminabantur horis, dum hic vix dimidiā duraret, horripilationsque lenes, aestus sudorque sequerentur mitiores; ita et coenaesthesia meliori versabatur in conditione. Remedii cum in officinis hujus urbis hoc ipso tempore non adisset, nec aliis, ne observatio turbetur, medicaminibus uti vellem, usum mittere, ac diaetam modo aptam praecipere, coactus eram. Octava eademque ultima accessio praecurrentem habebat aestum haud ita molestum, ac

capitis doleres. Posthac duabus adhuc hebdomadibus aegrotam observavi, quae ne ulla febris vestigio vexata, nuncusque perbene valet. — Vim febris hoc in casu unice nostro remedio infractam fuisse, quisnam in dubium vocaret? nam quo primum illud adhibui, morbus subito mitigatus, et, quamvis aegra semper adhuc exposita esset potentiis obnoxii, paullo post sine ulla alio adminiculo evanuit.

Haec observationes numerosae diversissimis in climatibus, saepeque conditionibus valde incommodis factae, maximum actionis Chinini sulphurici in febribus intermittentibus saluberrimae offerunt argumentum.

Cautelae inter Chinini sulphurici usum, in febre intermittente sequentes observentur: 1. Remedium nostrum Chinae ad instar minus conductit, morbo incipiente, quam post aliquot, paroxysmos, quoniam energia initio febris plerumque adhuc praesens, tonicum hocce validissimum aegre ferret; febres perniciose tamen, quippe quarum paroxysmi summum minantur vitae periculum nullamque patiuntur moram, praesentarium ejus exquirunt usum. 2. Ubi febris tanquam criseos agit partes, qua natura corporis affectiones majoris momenti, quod interdum in morbis observare licet chronicis, judicare studet, Chinini sulphurici usus prohibetur, quoniam si febris subigitur, morbi quibus originem debet, agere pergunt, aegrotationesque provocant febre longe gravio-

res. 3. In apyrexia sollemmodo est adhibendum. Quod si fieret in paroxysmis, naturae ad judicandam febrem moliminibus interceptis, pessima produci possent incomoda; praecipue vero rigoris tempus ob apoplexiā metuendam, chininum interdicit. Febris intermissiones si ad remissiones accedunt, ita ut accessiones se tangant, ad avertendum in febrem continuam transitum maximaē praesidiū nostri doses brevissimis intervallis laudantur eo tempore, quo aestus maximus recessit. Sed in febribus perniciosis inter paroxysmum ipsum cum Opio exhibendum esset. — Affectiones spasticae si febrem comitant, juxta Chininum sulphuricum huic apta antispasmodica fiunt necessaria. Si febris cum stasibus in venae portarum systemate, tumoribus hepatis, lienis, in atonia positis, est complicata, quod crebro contingit in febribus intermittentibus diurnis, remedio caute adhibito non modo febris, sed forsitan et complicationes maximā ex parte tolli possent. Jam Ficinus, ut supra est dictum, in his febribus complicatis sumnum tribuit praeconium Cinchonino Cel. Giese, quod, quanam polleat praestantia respectu nostri praeparati, jam alibi commemoravi. Quodsi infarctus sumnum attigerint gradum, cum febrifugo resolventia e. g. Calomel, Extr. amara, Sal ammon. dep. etc. jungere expedit. In debilitate ventriculi insigni remedium cum pepticis est jungendum.

Quoniam intermissionis tempore Chininum sul-

phuricum est adsumendum? — Chomel, ut supra memoravi, sese animadvertisse contexit, medicamine dimidia hora ante paroxysmum proximum sumto, non quidem hunc, sed alterum averti, Duval ab eo longe dissentiens, proxime paroxysmum remedii usum suadet; alii iidemque plurimi medici intra omnem apyrexiam aequales doses porrexerunt, nec minus laetogavisi sunt exitu. Febris fugi pro una apyrexia quantitatem per omnem ejus moram refracta in dosi ordinare optimam esse videtur, quia una vice sumta, ventriculum nimis incitando facile noxia evadere posset; ultimam dosin aegrotus haud brevi ante insultum accipiat, dum illo tempore omnis organismus, magis minusve incitatus, medicamenta difficilius recipiat; unam vel saltem dimidiari horam, antequam febris accessio incurrit, remedii usus esset suspendendus. Absoluto vero paroxysmo aegrum solitam dosin, neglecta superstite lassitudine, quae profecto non impediet, quo minus parca excipiatur copia, propinare licet.

Singulae apyrexiae Chinini sulphurici quantitatem, quae ceterum easdem ac omnia antipyretica spectare debet res, dosibus exhibebant mox magis, mox minus partitis. Plurimi observatorum citatorum tempore intercalari adultis gr. jj — jv, infantibus gr. β — jβ praescribent; Oppert paucique alii noxam verentes, quam tantae tractui intestinorum adferrent doses, gr. β — j omni hora vel bihorio per totam ordinabant

apyrexiam, quam cautionem rite adhibetē liceret in tenerrimis individuis. Ceteroquin respectu hujs momenti apyrexiae mora regulas sistit.

Febris domita, ne forte recurrat, minores eaedemque rariores Chinini sulphurici doses per aliquot dies exhibitae haud inutiles erunt. Usus ejus varie protrahendus est secundum debilitatis superstitis rationem ac febris fugatae moram gradumque. Cum morbus die septimo, decimo quarto et vicesimo primo redire consuescat, illis modo diebus remedium in usum vocare (quod in adhibenda quoque *China* multi suaserunt medici) minime alienum esset a consilio.

II. In *feribus remittentibus*, praéprimis in nervosis atque putridis Chininium sulphuricum crèberime profuit, ita, ne exemplo res careat, in pueram quadam in polyclinico Berolinensi 20) tractata, apud quam febris gastrica inflammatoria post animi pathemata deprimentia orta, in nervosam abierat. Elliottson 21) et Maanen 22) eundem bonum observaverunt successum in ejusmodi feribus. Febres nervosae tum potissimum usum ejus exigunt, si directe productae fuerint debilitate, et quo magis characterem induunt chronicum; quae cum ita sint, *China* etiam indicata esset, propter debilitatem vero organorum digestioni assimilationique dicitorum ab ea tam diu est

20) Hufeland's Journal. 1823. St. XII. p. 6.

21) Allg. med. Annal. 1824. p. 426.

22) ibidem p. 1072.

abstinentiam, donec praemissis incitantibus volatiliis organa illa aptata fuerint eam excipiendi. Hanc curam praeviam Chininum sulphuricum non poscit; ceterum haud negligendus est usus simultaneus medicamentorum in febre nervosa solitorum, nimirum Arnicae, Valeriana, Serpentariae, Camphorae etc. In febribus putridis, seu colliquationes adint, seu proclivitas ad putredinem, seu debilitatis irritabilis vel torpidae symptomata, maximas meretur laudes; in colliquationibus una praeebeatur cum acidis mineralibus, in statu torpido cum excitantibus, ac in irritabili cum sedantibus. Porro in febribus gastricis, praesertim in pituitosis, ubi tonus jam tantopere decumbit, ut Chinam propinare sit contra indicatum; Barcinone²³⁾ nonnulli medici nostrum praeparatum explorantes in febre sic dicta flava, quin hanc etiam pluries debellaverant. Nec minus egit in febre puerperalium²⁴⁾. Fidem profecta non falleret medicamentum in febribus exanthematicis, ubi energiae inopia eruptio exanthematis perfectam impedit, suppuratio intensa fuit, virium prostratio universalis est metuenda, ubique febres characterem prae se ferunt nervosam vel putridum.

III. In rheumatismo. Quarin aliique cum minorum corticis peruviani dosium, praevia methodo

23) Med. chirurg. Zeit. Nr. 97. 1824.

24) ibidem.

antiphlogistica, usum in rheumatismo acuto laudavent, Double 25) Chininum quoque sulphuricum hoc in morbo tentavit; rheumatismus non modo brevi temporis spatio sublatus est, sed nunquam, alias cerebrimac, contigerunt recidivae; minimas praescripsit doses absque ullo additamento. Eo potissimum nostrum praeparatum antecellit Chinam, quia multo minores congestiones atque corporis aestuationem infert minorem. Chronica rheumatismi forma, praevalente simul infirmitate, non minus ejus usum indicaret.

IV. In morbis nervosis. Chininum saepe optimè conduxit in multis affectibus nervosis, qui magnae medicaminum catervae pertinacissime resistenter. Petroz²⁶⁾, eocum asthma convulsivum periodicum duobus in casibus, plane removit. Magendie²⁷⁾ hominem sanavit melancholicum, qui, ut motus involuntarios per graves aufergeret, deambulare motusque corporis intentissimos suscipebat erat coactus; balnea, hidrunes, antispasmodica frustra tentata fuerant. Kolk²⁸⁾ choreomaniam periodicam, a porrigine quidem suppressa ortam, sed hac restituta, tamen persistentem, domuit. Huseland²⁹⁾ in capitibus doloribus

25) Gersch und Julius 1. c. 1821. p. 572.

26) Med. chirurg. Zeit. 1823. Thl. 3. p. 62.

27) Nasse's Zeitschrift für die Anthropologie. 1823. Erstes Vierteljahrheft. p. 253.

28) Huseland's u. Osann's Bibliothek. Bd. LI. p. 62.

29) Huseland's Journ. 1823. St. IV. p. 124.

periodicis spasmisque commendat. Roy 30) cephalaeam periodicam quotidianam, locum ossis frontis circumscriptum obtinentem, debellavit ac Niemann 31) dolorem periodicum integumenta dextri capitis lateris occupantem, et in alio aegroto dolorem periodicum circa oculum sinistrum fixum; utroque in casu x—xvj pulvere, Chinini sulphurici gr. j β continentes, curam perfecerunt; Oppert 32) in hemicrania periodica, quae ex causis rheumaticis enata, feminam aliquam jam secundum menses admodum cruciaverat; Schneider 33) in morbo nervoso memoratu digno, qui ex immobiliis spasmodis, nervorumque distensionibus constituit et tanquam mixtio erat epilepsiae, catalepsios, choreomaniae, risus sardonici aliornaque spasmorum, praecurrente omnium antispasmodicorum usu frustrato; Maanen 34) in multis doloribus periodicis optimum ejus vidit effectum. Vel in prosopalgia saepissime expedit: Petroz 35) dolorem faciei Fothergilli certum typum manifestantem, qui aegrotum jam duos vexaverat annos, pulvere gr. jj cum additamento aliquo nullius momenti bis vel ter de die exhibito, quatuor diebus sustulit; Spiritus 36) ab eodem morbo, qui

30) à Roy l. c.

31) Hufeland's Journ. 1824. St. V. p. 107.

32) ibidem. 1823. St. VII. p. 82.

33) Nasse l. c. 1824. Erstes Vierteljahrshest. p. 405.

34) Hufeland's u. Osann's Bibliothek. Bd. II. p. 62.

35) Med. chir. Zeit. 1823. Thl. 3. p. 62.

36) Rust's Magazin. Bd. XVII. Heft 1. p. 186.

tribus quotidie vi. iibus extruduit, feminam liberavit quinquageneriam; pluribus medicamentis, inter quae et China in substantia atque decocto locum tenebat, incassum accitis, in Chinino sulphurico spem posuit, quo propinato morbus duobus effessavit diebus, nec unquam rediit. Aegrota quartam horae parvem ante insultum gr. jj accepit. Idem medicus in aliis etiam morbis nervosis periodis recurrentibus remedii utilitatem est expertus. Piedagnel, Dupres et Ribes 37) neuralgias periodicas nervi supra et infraorbitalis, nec non facialis, ischiademi remittentem aliasque graviores nervorum affectiones ad laetum perduxerunt finem.

Chininum sulphuricum, uti ex observationibus hucusque factis atque ex analogia cum China colligere licet, in nervorum affectionibus tum potissimum est indicatum, cum periodis certis incedunt, nec non ubi causae earum potentiae sunt debilitantes, evacuationes creberrimae, intentionesque corporis et animae nimiae. — Detectio medicamenti nostri profecto haud minus morborum nervosorum, quam febrium intermittentium juvaret therapiam, si neuralgias, praincipie prosopalgiam, tam crebro omnes omnium fere artis praesidiiorum vires irritas reddentes, subigere valeret; ceteroquin est verisimillimum, illas tantum prosopalgias ab hoc remedio victas fore, quae a momentis causalibus apud morbos nervosos nominatis pendent;

37) Hufeland's u. Osann's Bibliothek. Bd. L. p. 563.

quodsi Syphilidi morbus originem debet, mercurialia primum occupant locum.

V. In *haemorrhagiis*. Jemina 38) metrorrhagiam adynamicam brevi sustulit granis Chinini sulphurici tribus tertia quavis hora propinatis. Cominotto 39) ejusmodi haemorrhagiam sttit, quae intra triginta duos dies multisaria medicamina repudiaverat; initio gr. jj, serius gr. jjj ter quotidie dedit; Maanen 40) quoque in metrorrhagiis prospere adhibuit; Klokow 41) in haemorrhoidibus profusis, quae apud feminam satis diu paralysi extremitatum inferiorum infestatam, vita sedentaria exortae, tantumque erectae erant ad fastigium, ut in quavis alvi ejectione, vel voluntaria, dimidia saltem sanguinis libra profluueret, omniaque depletionis signa apparerent. Cum pro usu interno acida mineralia, alum, cort. cinnamoni, rad. ipecacuanhae atque pro externo epithemata frigida, injectiones e China atque alumine irrito adhibuissent, in Chininum sulphuric. spem coujecerunt, cuius jam duas doses, quarum singulae grana IV erant, sanguinis fluxum minuerunt, quatuor vero plane stiterunt. Mebes utilitatem ejus vidit in menstruis profusis cum fluore albo alternantibus, quibus mulier quedam, pluribus defuncta puerperis, ex ultimo partu

38) Allg. med. Annal. 1823. p. 285.

39) ibidem. 1824. p. 557.

40) Hufeland's u. Osann's Bibliothek. Bd. LI. p. 63.

41) Hufeland's Journ. 1824. St. VI. p. 119.

laboravit; sanguinis cursum decimo quarto quoque apparentem die, octiduo sat copiose perdurantem, leucorrhoea excipiebat ad periodum proxime sequentem usque perseverans. Multisariis tonicis pro usu interno ac balneo marino futiliter tentatis, Chinini denique sulphurici usu diu protracto fluor albus devictus, fluxusque menstruus ad normam reductus est: — In omnibus sanguinis prosluviis adynamicis, illisqne, quae per certos circuitus redcunt, ideoque febrium intermittentium larvarum speciem reserunt, haud absque omni usu foret.

VI. In *morbis phthisicis*. Double 42) in phthisici pulmonali purulenta absque ulla inflammatione, suppuratione semper vigente, sputis copiosis facile ejiciendis, vespertino febris augmento, sudoribusque nocturnis bonum produxit successum; Magendie 43) in stadio phthiseos pulmonum tertio cum sudoribus nocturnis maxime profusis remedium mox levamen ferre viresque eximie refocillare, observavit. Maanen 44) etiam hosce ad morbos remedium nostrum commendat. — In phthisi pulmonum purulenta tam praeprimis est indicatum, cum receptivitas est immunita, pulmonum insignis adest destructio, debilitas maximum attingit gradum, colliquationesque immi-

42) Gerson und Julius. I. c. 1821, Bd. II. p. 573.

43) Tromsdorff I. c. 1822. Bd. VI. H. I. p. 138.

44) Hufeland's u. Osann's Bibliothek. Bd. LI. p. 62.

rent; in phthisi pulmonum tuberculosa cauissima sit applicatio, quia nimis incitando diathesin inflammatoriam, hic semper fere praesentem, augere, vel imo oriundae inflammationi ansam praebere posset. Generum in omnibus quoque suppurationibus magna cum virium jactura locum habet; Graefe 45) in ulcerationibus ex laesionibus mechanicis proficiscentibus, vires magnopere consumentibus, commendat.

VII. In *morbis hecticis*. Double 46) insignem ejus actionem in tave vidi seminarum, puerperio iniquo et lactatu nimis protracto illata; languor jam adserat maximus, sudoresque copiosi, febris typum manifestabat periodicum; Cel. Mæbes in juvne aliquo, qui pluribus ex annis pollutionibus infestatus ex onaniz proficiscentibus, cujusque non solum corpus eo penitus exhaustum erat, sed animus quoque ad summam vergebant hypochondriam; Maanen 47) his similia comperit. Omnibus malis hecticis, vel e febribus cuiuscunq; generis vel ex aegrotationibus diuturnis valde infirmantibus ortis, adminiculis alias simul accitis, tollendis par esset.

VIII. In *blennorrhœis*. Double 48) et Nie-

45) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde, von Dr. C. F. Graefe und Dr. Ph. v. Walther. Bd. V. Heft 2. p. 370.

46) Gerson und Julius l. c. 1821. Bd. I. p. 573.

47) Hufeland's u. Osann's Bibliothek. Bd. LI. p. 62.

48) Harless l. c. Supplementband zum I—IV. Bd. p. 296.

mann 49) in pulmonum blennorrhœa praesentem ejus laudant effectum; Maanen 50) in leucorrhœa, ac Jemina 51) in variarum partium blennorrhœis. — Cum omnibus mucifluxibus medicamenta respondeant tonica, praeparatum nostrum vel pro se, vel cum aliis remediis aptis hic quoque partes agit.

IX. In *scrophulis*. Magendie 52), infanti hoc morbo summe laboranti gr. jj per nychthemeron in refracta dedit dosi, affectionumque intra quatuordecim dies insigne vidi decrementum; ulcera satis extensa celeriter cicatrisationi appropinquabant, genu tumor valde dolorificus ambitu minuebatur doloreisque plane fere evanescebant. Double, Callou aliquippe 53) eandem testantur efficaciam. Chiae ad instar in scrophulis fere quolibetcunque tempore ad sanationem confert, in macie corporis, ulceribus longe suppurantibus, febre hectica. Ita et in morbis scrophulis affinibus, rhachitiide et atrophia commandandum esset, cum organismus corticem peruvianum ab infirmitate organorum digestioni inservientium indicatum aegerrime ferat, ac aegrotuli ingrati saporis causa eum adsumere recusent; praeterea in morbis mox enumeratis haud negligendus est aliorum adjumentorum usus.

49) Hufel. Journ. 1824. St. V. p. 109.

50) Hufeland's u. Osann's Biblioth. 1824. Bd. LI. p. 62.

51) Allg. med. Annalen. 1823. p. 285.

52) Tromsdorff l. c. Bd. VI. St. 1. p. 137.

53) Med. chir. Zeitung. Nr. 97 1824.

X. In ventriculi tractusque intestinorum debilitate. Testantibus Magendie 54), Double 55), Jemina 56) praestantissimum est roborans; tum in alvi obstipationibus, tum in diarrhoeis cum atonia, porro in dysenteria, cholera, viribus jam decumbentibus, virtutibus suis excellit 57). — In nosocomio nostro academico contra infirmitatem gravissimam ex ulceribus gangraenosis ortam cum optimo eventu est adhibitum. In debilitate universalis, qua corripiuntur convalescentes e variis febribus, ex haemorrhagiis aliquis morbis vires insigniter exhaustientibus, cortice peruviano semper multo expeditius juvavit. 58)

Ex indicationibus generalibus concludere licet, remedium nostrum sequentibus adhuc in morbis commendari posse: Scorbuti gradus provectiones dyspepsiae causam Chinam ut plurimum vetant, Chininum sulphuricum profecto admitterent; idem in arthritidem atonicam valet; porro usum ferret in ictero ab hepatitis atonia et ulceratione pendente, in chlorosi, adhibito simul ferro, in hydropibus atonicis post febres inter-

54) ibidem,

55) Harless l. c., Suppl.-Band zum I—IV, Bd. p. 296.

56) Allg. med. Annalen. 1823. p. 285.

57) Abhandlung über die Verdauungsschwäche und ihre Folgen, die sogenannten nervösen und gallichthen Beschwerden, von Dr. P. Wilson Philip. Frankfurt am Main. 1823.

58) Gerson und Julips l. c. Bd. I. p. 574. — Allg. med. Annalen. 1824. p. 426.

mittentes longinquas et profluvia copiosa, praesertim ad curam secundariam, ut eorum reditus arceantur: Maanen 59) connubio ejus, cum Oxymelle colchici prospere usus est in hydrope ascite et anasarca cum hepatis tumore, quibus adjuncta erat febris intermitiens tertiana. Nec minus in secretionibus vitiosis cum totius corporis languore, uti in diabete mellito, pollutionibus frequentibus, gonorrhœa secundaria diurna, haemorrhoidibus mucosis atque coecis; in sterilitate ac vesicae urinariae morbis, atonia nitentibus; in exanthematis chronicis, si torpore magno stipantur, vel ulceratione nimia constitutionem perdunt; in carie ad vires sufficiendas, in syphilide, in omnibus ulceribus torpidis, relaxatis, multumque puris fundentibus, in carcinomate, praecipue si febrem hecticam colliquationesque jam comites habet. — In gangraena atque sphacelo, sive causae internae, sive externae occasionem praebuerint, cortex chinate, ut notum est, magnam sibi vindicavit gloriam, cum autem ejus vires, saltem in aliis morbis a Chinino sulphurico multo superentur, id hic quoque sperandum est; Chinium praeterea eo quoque praeferendum est, quod multo crebrius adhiberi potest, ita e. g. in gangraena satis evoluta atque admodum extensa tanta jam adest virium jactura, ut China vix sit ferenda, ususque externus solus vix quidquam proficiat. In uteri putrescentia eodem ageret modo.

59) Hufeland's u. Osann's Bibliothek. Bd. II. p. 64

Corticis peruviani decocta in veneficiis quoque tartaro stibato productis antidota optima laudantur⁶⁰), nec hunc, licet omnem alium Chinæ locum præparatum nostrum implere valeat, ea quidem ex causa, quod illa facultas corticis principio adstringenti inest; hocce cum stibii oxydulo, quod tartaro stibato abripit, conjugium init, ejusque indolem tantopere mutat, ut omnem facultatem vomitum ciendi amittat. Priusquam corticis peruviani pars efficax, quae in principio quaerebatur adstringente, innotuit, inexplicabile erat, quomodo corticis cum tartaro stibato conjunctio medicamentum gignat vi emetica carens, febrifuga autem non secus praeditum ac China; detecto vero Chinino atque Cinchonino, haec quoque tenebrae sunt fugatae; nimirum principium solum corticis adstringens stibii oxydulo jungitur, bases contra non mutantur; singularesque actiones suas exercere queunt⁶¹). Atqui cum solum Chinæ principium coriarium tartari emetici sit antidotum. in ejusmodi veneficiis non opus est remedio tanta pretii, cum alii cortices tannino imbuti, multo minoris pretii, v. c. cort. quercus, salicis hoc in casu idem valeant.

Nec minus Chininum sulphuricum, ut remedium pro usu externo, in pluribus morbis, v. c. in ulceribus, herniis, prolapsibus postponendum est Chinac,

60) Orfila's Toxicologie. Berlin 1818. Thl. I. p. 292.

61) Tromsdorff l. c. Bd. VI. St. I. p. 104.

utpote cujus actio hic, quin imo in gangraena, principio potius coriario, quam Chinino est adscribenda; etenim hoc resina aliisque elementis ita est involutum, ut vix ne vix quidem in applicatione pulveris externa, qua in forma præcipue in gangraena proficeret dicitur (probabiliter eo solummodo, quod pulvis sic cus saniem attrahit itaque locum gangraenosum a fluido noxio liberat) a loci gangraenosi superficie excipiatur; experientia insuper edocti sumus, alios cortices adstringentes ne minimam quidem basium Chinæ particulam continent, ad vincendas aegrotationes mox allatas non secus valere ac Chinam ideoque ejus loco substitui posse.

Perstrictis nunc omnibus affectionibus pathologicas, in quibus Chininum sulphuricum vel jam exploratum est, vel tentari possit, accedamus ad momenta, quibus Chinæ anteponendum est; quarum licet nonnulla passim memoraverim, tamen, ut omnia in unum colligantur, his repetitis, omissa addam. Vis ejus febrifuga cum maximi habeatur, ad hanc primum attentionem dirigamus. Sequentibus remedium nostrum Chinac est præferendum⁶²):

1. Eo potissimum commendabile fit, quod in quavis aetate adhiberi potest, tum in lactentibus, tum in senibus sine ulla, Chinæ usum cerebro comitantibus molestiis.

62) Hufeland's Journal. 1823 St. VII. p. 82. — Harles l. c. Bd. VI. p. 16.

2. Ubi typus febrium intermittentium non omnino est regularis, nec apyrexiae plane sunt manifestae, vel ubi complicationes una exstant cum affectionibus dyspepticis gravioribus aliisque molestiis deterioribus, Chinam haud prius accire licet, quam haec mala sint remota aegrotique usui ejus sese paraverint; idemque in alios morbos valet chronicos, quibus, quod in epidemiis intense grassantibus haud raro fieri solet, febris intermittens accedit; his conditionibus tam infestis Chininum contra sulphuricum saepe maxima cum utilitate exhibitum est, nec unquam phaenomena praedicta genuit.

3. Praestantia ejus quoque elucet, quod quantitates ejus exiguisimae, cum Chinac ad eundem scopum adhibitae dosibus non aequiparabiles, multo majorem excercerent vim; ita, ut exemplo utar, ad subigendam febrem intermittentem simplicem gr. vj—xii ut plurimum jam sufficiunt, corticis e contra sive in pulvere praebeatur, sive in qualibet alia forma, unciae duae vel una ad minimum exquiritur. Hoc discrimen inter utriusque medicamenti doses ad eundem finem necessarias efficaciae rationem Chininum sulphuricum inter et Chinam sistit, ut 1: 80. Sunt fortasse, qui his opponant, plures quoque medicos, Cel. viros Nasse, Mursinna, Thuessingk⁶³⁾ dosibus Chinac parvis brevi ante vel paullo post accessionem

63) Hufeland's Journ. 1814. Jan. p. 78.

febrilem exhibitis, febres intermittentes fugasse; illi autem sciant; rem frequentioribus adhuc egere documentis ac brevi abhinc experimenta eo consilio a Cel. Gittermann 64) facta; illorum medicorum assertis omnino contradicere. — E dosi medicamenti nostri minima jam sufficiente haec duo proficiscuntur commoda: a. Ab aegrotis multo lubenter adsumitur, ac Chinac largiores, praesertim si pulverisata est, quantitates; cum difficile sit, infantibus sufficientem Chinac copiam ingerere, nec profecto idem contingat cum Chinini sulphurici dosibus minutissimis, res prae ceteris in infantum tractatione observationem mereatur: — b. Res ubi possunt dosin angeli, multo facilius fieri potest cum Chinino; quam cum cortice peruviano, cuius volumen, nisi extracto multo invalidiori uti velis, hoc impedit. Casus, in quibus Chinac vobis opus est parvo volumine concentrata, sufficit e. g. febres intermittentes, quarum intermissiones brevissimae apparent, nec non febres ejusmodi generis, quae phaenomenis stipantur vitae periculum minitantes, quarumque paroxysmi quam primum fieri potest, arceri debent. Ad debellandum talem morbum periculosissimum ex plurimis observationibus gr. xx — xxx sufficiunt, Chinac autem in pulverem tenuatae, si utriusque remedii efficaciae rationem jam citatam respicis, unciae quatuor ad sex, ac in aliis formis ma-

64) Harless. I. c. Bd. vj. St. 3. p. 16.

jores adhuc opus sunt quantitates, quae plerumque aegerrime ingeruntur; vel omnino adsumi nequeunt, ubi, quod e. g. in febre intermittente apoplectia accedit, organorum deglutitioni inservientium functio magis minusve est turbata. Et hoc in casu maxime ambiguo Chinino via adhuc patet, cuius copiam minimam aqua calida, aut, ni morbus vetet fluido aliquo spirituoso solutam aegroto expedite instillare, vel, ubi ne hoc quidem contingat, ope tubuli elastici per oesophagum immissi ventriculo ingerere valemus.

4. Vis chiae febrifuga a Chinino sulphurico, quod multo minori temporis spatio febrem intermittentem tollit, longe superatur. Chininum per unam tantummodo apyrexiam adhibitum febrem intermittentem removisse raroque quatriduo hunc ad scopum opus fuisse, multifariae docent observationes. Gittermann 65) comparationis causa, in epidemia aliqua febris intermittentis alteram aegrotorum partem cum praeparato nostro, alteram cum cortice peruviano mox in pulverem subacto, mox decocto tractans, illos longe citius sanitatem recuperare vidit.

5. Chininum febrem intermittentem China multo constantius tollit, rariusque morbi regressus admittit.

6. Quin etiam, si remedium diutius in usum vocari deberet, tamen haud est metuendum, ne tanta, quanta saepenumero post Chiae usum contingit, ori-

tur ciborum cupiditas, quae saepe vitiis diaeticis indeque oriundo morborum vix sublatorum redditui occasionem praebet.

7. In omnibus reliquis morbis acutis, nec non chonicis adynamia non spernenda stipatis Chininum sulphuricum Chinam eo potissimum antecellit, quod, ut jam monuimus, a digestionis organis vel debilissimis, absque ulla molestia prompte assimilatur, ac hic quoque China longe expeditius agit. In pluribus aegrotationibus nervosis, imprimis in illis, quae fixas periodos servant, cortex, saepe accitus, Chinino longe postponendus est; jam memoravimus, Chinam in doloribus capitis periodicis, prosopalgis ne minimum quidem tulisse auxilium, Chininum optatum induxisse finem. Denique

8) id quoque, licet minoris momenti habeat commodum, quod sapore gaudet multo suaviori sincere amaro; Chiae sapor multis aegrotis magnopere injundus saepe impedit, quo minus usus rationem rite observent, quod de Chinino nunquam est metuendum; res multo adhuc gravior est in infantibus, ubi impressio, quam medicamenta in organa gustus faciunt, attentione maxime digna est.

Chinin sulphurici caritatem, usus impedimentum, immerito accusaverunt, nam, ut experientia docuit, curatio nihilo majoris, quin imo, cum minima solum eaedemque rariores exigantur doses, ministris adhuc constat, quam ubi China adhibetur; atque

65) ibidem.

et revera majoris esset pretii, tamen propter præstabilitam crebro ad Chininum esset confugiendum.

Dosis atque forma.

Licet jam partim de dosi, nominatim in febribus intermittentibus sit locutum, tamen quaedam generalia locum hic teneant. Infantibus præparati gr. $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$, prout yes poscant, bis vel ter per nychthemeron, adultis grj — jjj — $\frac{1}{2}$ ter vel quater præscribi possunt.

Chininum sulphuricum cum in aqua difficulter solvatur, ac solutio ejus in spiritu vini, hujus ipsius causa, saepe porrigi non debeat, in pulvere exhibemus vel puro nebulis obducto vel absque his cum sacchari albi gr. x — xx in aquae calidae cochleario uno. Quodsi aegro sapor esset ingratus, loco sacchari puri elaeosaccharum aliquod aptum e. g. menthae piper. cinnanom. cajeput. vel pauxillum cortic. cinnamom. nucis moschat. rad. zingiber. adjungi, aut pilulae formari possent cum succo Liquiritiae vel alio extractio excipiente.

Ubi solutio aquosa utique necessaria fieret, Chinini sulphur. gr.vj. in aquae destillatae simplicis vel aromaticae alicujus $\frac{3}{4}$ solvi, hujusque solutionis quavis vice cochlear cibarium sumendum propinari posset; caveas autem, ne talibus solutionibus addantur medicamenta, quibus magna est cum acido sul-

phurico affinitas, aliter enim remedium elementorum patitur discessum, basisque vix ne vix quidem solubilis fundum petit.

Plures medici 66) has proponunt formulas.

Syrupus Chinini sulphurici

Rec. Chinini sulphurici gr.xxiv,
solve in

Syrup. simpl. libr.j.

S. Sumatur ter vel sexies de die cochlear
unum theanum.

Vinum Chinini sulphurici.

Rec. Chinini sulphurici gr.xij.
solve in

Vini hispanicli libr.j.

S. Praebeatur bis vel quater per nychthemeron
cochlear unum cibarium.

66) Fr. Magendie. *Formulaire pour la præparation et l'emploi des plus., nouv. medic. — Troisième édition revue et augmentée. A. Paris. Decbr. 1822. p. 40.*

Solutio Chinini sulphurici spirituosa.

Res. Chinini sulphurici gr.vj.

solve in

Spir. vini rectificatiss. 3j.

**5. Sumantur tribus quotidie vicibus guttae triginta
ad quadraginta.**

Nonnullis in casibus, uti in febribus nervosis atque putridis, Chininum sulphuricum in Aethere sulphurico vel in Spir. sulphurico-aethereo solutum (v. c. so-
lutiō gryj in Spir. sulphurico-aeth. 3j, cuius guttae
decem pro tempore sunt exhibenda) porrigitur licet.

THESES DEFENDENDAE.

.....

I.

**Placentae solutio post partum in uno tantum casu in-
dicata.**

.....

2.

Perforatio nonnunquam in foetu vivo exhibenda.

.....

3.

**Inter vasa uteri atque placentae anastomosin adesse,
contendo.**

.....

4.

Melius remedium anceps, quam nullum.

.....

5.

Non datur lactis metastasis.

.....

6.

Combustionis solummodo tres gradus sunt assumendi.

72

7.

Morbus mere dynamicus nullus.

8.

Vesicae urinariae punctionem supra ossa pubis aliis
methodis praeferem.

9.

Ligatura in ani fistulis haud omnino rejicienda.

10.

Causam arthritidis primariam semper organis digestio-
nis tribuerim.
